

Bibliothèque numérique

medic@

**Mertrud, Jean Claude - candidat /
Busnel, Louis-François - président. -
De hydrocele**

1759.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Collegii & Academiae Regiae
Chirurgorum Typographi, viâ
San-Jacobaeâ, sub signo
Olivae.***

Cote : ms 2342, n°69

DE HYDROCELE.

THESES ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

*Quas, DEO JUVANTE, & Præsidi M. LUDOVICO-FRANCISCO
BUSNEL, Artium & Chirurgiæ Magistro Regiæque Chi-
rurgorum Academiæ Socio, tueri conatitur JOANNES CLAUDIUS De Laugres
MERTRUD, Lingonensis, Artium Liberalium in alimâ Universi-
tate Parisiensi Magister.*


PARISIIS;
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

*Die Lunæ 8^a. Octobris à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.
Anno salutis 1759.*

PRO ACTU PUBLICO
ET MAGISTERII LAUREA.



Typis P. AL. LE PRIEUR, Collegii & Academiæ Regiæ Chirurg. Typographi,
viâ San-Jacobzâ, sub signo Olivæ. 1759.



DE HYDROCELE.

THESIS

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

Quam, Dns Juvante, & Privilegio M. LUDOVICO-FRANCISCO
BUSEM, Auctoris & Chirurgie Magistri Regiarum Chir-
urgiarum Academiæ Socii, in Universitatē Johannis Carolini
in Artibus, & Medicinā, Auctoris Liberatorum in Austria
et Præfatus Magister.

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGICORUM SCHOLIS.

Die hinc et ceteris in hujusmodi post mortem ad spectantem.
Anno Juliano 1779.

PRO ACTU PUBLICO.

ET MAGISTERII LAUREÆ.



Typis P. A. de la Harpe, Collegii & Academiæ Regiæ Chirurgi, Typographi.
vix de Jacobus, de hinc 1779.



D. O. M.
T H E S E S
 ANATOMICO - CHIRURGICÆ.



SCROTUM in proclivi positum, laxitate Pendulâ concussile, multiplici Morborum serie vexari neminem latet: omnes recensere, ut arduum nimis opus, sic & instituto nostro parum congruens, de Hydrocele potissimum indecoro pondere, nullâ ætatis habitâ ratione mortales urgente, præmissis, ut mos est, quibusdam Anatomicis, dicemus.

IN inferiori margine ossium pubis pendet sacculus mollis, rugosus, futurâ seu raphe, in duas partes divisus, glandulis sebaceis instructus pilisque gaudens in Adultis, testes involvens, scrotum sive bursa virilis, veteribus scortum (a). nuncupari solet: cuticulâ, cute tenuiori & membranâ adiposâ pinguedine destitutâ (b) Constituitur,

(a) Veteribus scortea appelebantur quæ ex alutâ aut pelle constabant unde scortei nummi qui ex corio fiebant. Vid. Gaspar. Bauhin. Theat. Anat. pag. 181.

(b) Quandoque reperitur in scroto adeps; sed præternaturaliter & in valde obæsis, ut passim legitur apud Authores.

est quæ primarium & exterius commune testium involucrum.

ALTERUM condit *ἡ δαπνὴ*, Rupho & *Æginetæ δαπνὴ* vel *δαπνὴ* (a), quoddam faciliè ab aliis separetur : hoc membranaceo-musculotum duplex, vasculis sanguiferis luxurians, ossium pubis utrique ramo fibris tendinosiss affixum, biloculatur mediante septo, à quibusdam mediastino (b), ex amborum adunatione contexto, testes investit, variis corrugationibus fovet, suspendit & sustinet pro circumstantiarum ratione. *

IN utroque sacculo sedet pars organica; ovi columbini, aut majoris similitudinem referens, mollis, spongiosa & albicans, seminis generationi dicata (c), testis, sive testiculus audit. Numero bini sunt, modò communem naturæ ordinem respicias; undè à Græcis *ἰδίδυμοι*, quasi gemelli nuncupantur. Vocantur præterea, à non nullis, *Poma Amoris* *Bracchica mala*, *Globuli naturales*, *Colei*, &c. *

DE Testium substantiâ, vasorumque spermaticorum anastomosis multi plura: alii substantiam testium pultaceam (d), glandulosam alii (e), quidam omninò vasculosam (f) volunt; sed non nostrum est tantas componere lites, & cum Heystero spectabimus, mirantes, vasa spermatica tunicam albugineam decurrentia, varios in testium substantiâ giros efformantia, corpus albidum Higmoro dicatum constituentia, & in epididymida vel parastatam humorem suum quinque vel sex osculis minimis evomentia (g). Arteriæ & spermaticæ venæ anastomoses multi contendunt, sed oculi nostri non sunt hæcenus tam lyncei, ut aliquid Autopsiâ probare possint.

(a) Lib. 6. Cap. 61.

(b) Clariss. Winslow. Exposit. Anat. art. 499.

* Reperiuntur qui scrotum pro lubitu attrahunt, & motum in illo, peristaltico intestinorum non absimilem excitant. Confer. de Graaf. de Vir. Organ. Generat. inservientib.

(c) Gerard. Blasii. Anat. hom. 114.

* Aliquando tres aut unus duntaxat testiculus deprehenditur. Nullos in homine testes observatos fuisse scribunt Bartholomæus Cabrolus Observ. 3. Sennert. lib. 2. chap. 2. de testibus. Unici exemplum refert Riolan. Antrpographiæ lib. 2. Cap. 31. Tres se testiculos vidisse testantur Petrus Borellus Hiltor. & Observ. rarior. Medico-Physicorum Cent. 2. Observ. 60. Fernelius lib. 1. Patholog. cap. 8. Forestus lib. 27. Observ. 25. refert Franciscus De Leboë, Sylvius se in nobili quadam viro utrumque testiculum in abdominis cavitate latentem invenisse: quandoque etiam, ut ipsemet vidi, unum in scroto, alterum in pelvi deprehenditur.

(d) Ruphus Ephesius.

(e) Malpighi.

(f) Ruisch.

(g) Laurent. Heyst. Compend. Anat. pag. 95.

3

JAM verò epididymis par est oblonga, bombyci similis, utri-
que extremo testis, mediante membranâ tendinosâ, ob colorem, albu-
gineâ dictâ firmiter alligata; partem quâ testis committitur gybbam, quâ
verò illi adhæret cavam refert. Per totum ejus ductum quo testis tu-
nicæ, hæctitur propè-modum æqualis & ejusdem figuræ est, duabus
verò extremis. 1^a. Quæ caput epididymidis refert; in globum assur-
git. 2^a. Quæ cauda, quorundam, paulisper gyrosa definit in sypho-
nem feminiferum, suprâ os pubis assurgentem, in plevim descenden-
tem, & posteriori parti cervicis visicæ finiendum in vesiculas semi-
nales: substantiam cum teste fere eandem refert.

TESTIS cum suâ epididymide tribus propriis investitur mem-
branis, 1^a. musculosa sive rubra, unde ἐπιδιδυμίδης dicta, musculus
Cremaster sive testis elevator, fibrarum musculi obliqui interni ab-
dominis expansio, testem sursùm attrahit, 2^a. vaginalis dicta Græcis
ἐλαιοειδής, peritonei processus cellularis, priorem exteriori parte
excipit, & variis filamentis cum externis testium involucris commu-
nicat.

3^a. Albuginea strictior, cum substantiâ testis, ejusque appendi-
cis cohærens, vasa spermatica recipit, & ad testes transmittit.

TRIPLEX vasorum ordo prædictis partibus suppeditat.

ARTERIÆ, spermaticæ dictæ, quibus occurrunt plures ab
Hypogastricis, Pudendis, Epigastricis, & Curalibus.

VENÆ, arteriis majores, reducem sanguinem ab iisdem reci-
piunt, & in cavam, variis locis, pro vario ramulorum genere, eructant.

NERVI ex osse sacro, lombaribus, plexu renali & spermatico
cum intercostali & octavo pari communicantes.

NEC defunt vasa lymphatica in glandulas inguinum conglobatas,
lacteas, mesaraïcas, immò & ductum thoracicum decurentia.

TUMOR in alter-utrâ, vel utrâque scroti parte, minùs dolens,
quandòque splendens, sæpè etiam diaphanus ac mollis (a). A stag-
nante sero, vel in cellulis latitante, ὕδρεκία vel hernia aquosa nun-
cupantur.

SERUM autem illud nunc intrâ productionem peritonei & mem-
branam scroti carnosam (b). Nunc in vaginali testiculorum tuni-

(a) Theodor. Zuinger. Theatr. Prax. Med. pag. 504.

(b) Palfin. Anat. Chirurg. Comment. par M. Petit, pag. 175.

4

câ (a), nunc in peculiari cystide, nunc inter alias scroti cellulas (b) colligi non infrequens. Unde pro variâ sede, multiplex.

PRODUCITUR itaque, quoties limpha vel serosus humor à sanguine jam secretus, intrâ prædictas partes stagnare incipit, tunc pars necessario dilatatur; sensim ac sensim, in dies crescit, ac in tantam molem, propter impeditum lymphæ refluxum, attollitur, ut & ipsius etiam penis aquosa intumescencia atque incurvatio contingat à quâ æger plus forte quam à toto reliquo morbo excrucietur (c).

DISRUPTIO, aut nimia vasculorum, præsertim lymphaticorum laxitas, copia vel qualitas serosi laticis læsa, vis externa, nixus, vulnera venenata, præsertim ab animantium dentibus infixa, animi pathemata, inconsiderata medicaminum applicatio, venereis in sylvis venatio, ex hisque collecta spolia, impedita perspiratio sanctoriana, cachexia, largiores venæ sectiones & hæmorrhagiæ quales-cumque sanguinis florem depauperantes, viscerum abdominalis ingurgitatio aut tumores, vita sedentaria, somnus prolixior, crapula quotidiana, ascytes, leucophlegmatia &c. Huic morbo ansam præbent.

HYDROCELE facili negotio, & cognoscitur, & ab aliis scroti tumoribus plerumquæ discernitur: mollis enim est tumor, albicans sæpe, quandoque transparens, in quo seri fluctuatio haud difficulter per sentitur: pellucidus, si aquæ in scroti, aut tegumentorum cellulis haud profundius latent, tegumenta balani, ut potè continua expandunt, unde quandoque *φimosιοι*, *παράφimosιοι*, glandisque intumescentiæ fomites invadunt (d). Tunc testiculus, subter aquas, naturali suâ magnitudine deprehenditur.

IN vaginali tunica serum incarcerari demonstrat, minoris ponderis, sed magis dolens tumor, ellipticam quasi figuram exhibens, vix transparens, nisi in obscuris, posito namque in adversâ parte lumine, collocetur æger: tunc deest penis intumescencia; è contrâ minuitur (e), & paulatim, præstantissimum hoc virilitatis decus, oculos pudibundè fugere crederes. Testis verò sensibus intactilis inter aquas

(a) Recentiores quidam unicam tantum hydrocelis speciem admittunt, scilicet in vaginali tunica; reliquas aut negant, aut ad leucophlegmatiam aliosve morbos referunt: cum verò, nomine tantum, ab eorum sententiâ differat hæc nostra positio, si cui nova magis arrideant, litem non suscitabimus: antiquiori immò & usitati utimur loquendi modo. Vid. D. Bertrandi in Regiæ Chirurg. Academ. Collect. tom. 3. pag. 85. Sharp. Recherches sur l'état présent de la Chirurgie, &c.

(b) D. Garengeot tom. 1. p. 448.

(c) Theodor. Zuinger. p. 505.

(d) Elie Col de Villars, tom. 2. pag. 178.

(e) Palfin pag. 175. Col de Vilars suprâ laudatus pag. 179.

5
laret, & quandoque harum pravâ qualitate erosus (a), ve pressione strangulatus (b), in syderationem promptè decedit.

A' σαρκώλη differt in eo quòd hic durus soleat esse testiculi magis quam ipsius scroti tumor. Ab *ετεροκήλη*, in quo neque pelluciditas, neque in scroto solo, sed ad inguen, per quod lapsus intestinalis ductus, ut plurimum in abdominis cavum ita retrudi potest, ut omnis scroti tumor evanescat : quòd in Hydrocele non fit, nisi dilaceratâ aut prolongatâ peritonei parte internâ, annulum musculi obliqui externi abdominis obturante ; tunc hydrops comes (c) aut saltem feri fluctuatio litem facilè sedat.

IN *πνευματωκήλη* autem, expansio dolorque majores fiunt ; defunt mollities & diaphaneitas ; digitorum tactui facile quidem cedit, sed instar timpani tensi, si digitum removeas, pristinae figuræ subitò restituitur.

PROGNOSIS pro variâ specie & causis multiplex. Hydrocele recens, simplex, vel in pueris, omni ferè periculo vacat, leviorique medicaminum apparatu sedatur. Si verò Hydropis comes, effectus cachexiæ, humorum crasis perversæ, in membranâ testis propriâ tenellum hoc condendi seminis organum premat, præsertim si desit urina, aut parcius, rubra, lixivialis ac tincta, prostrato appetitu, siti inextinguibili, febrique lentâ corripiatur. Ager, si crura pustulis rubicundis, lividisque striis gangrenæ sphacelique nunciis deprædentur ; subsequens accidentium cohors miserum brevi tempore de medio tollet, ut passim monet sapientiss. Hypocrates Aphorism. Sect. VI. VII.

Quod ad curationem spectat : sedulò ac diligenter perpende causas, tempora & Comites morbos : differt enim pro singulis indicatio Therapeutica. Itaque incipienti Hydroceli idiopatico, præsertim in infantibus, fatus quidam astringentes ac resolventes spleniis aut spongiolâ scroto adhibiti, haud omisissis evacuantibus intus susceptis, perfectam, nec lentam curationem afferunt. Quibus propter provectiorem ætatem, ni sufficiant, aperientia ac hydragoga, imprimis hydrargiro aut marti unita addemus : his verò propter tenaciorem morbum incassum adhibitis ; accedat auxiliatrix Chirurgia, Pharmaceuticisque ferreas adde vires. Scarificationes igitur in scroto protinùs instituendas, partemque aquis denudatam spleniis ac fasciis spiritu vini camphorati, aquâ calcis, &c. syderationis vitandæ causâ imbutis deligandam, suspensorioque firmandam, cum melioris notæ Authoribus arbitramur. Si cresipelas adsit, ante omnia, venæ sectionibus topicis-

(a) Recueil périod. d'Observ. de Méd. Anat. Chirurg. tom. VII. pag. 49.

(b) Zuing. jam citat. pag. 507.

(c) Palfin, Anat. Chirurg. pag. 173. Dionis Comm. M. de la Faye, p. 368.

que res solventibus sedandum, ne gangrenæ faveant scarificationes; quæ, si jam prodierit, anticepticis medicaminibus tam extrus quam intrus adhibitis, ad medelæ scopum propera.

Si Hydrops ascytes cum scâ cohorte simul ad fuerit, eadem prorsus remedia utriusque curationi adhibenda: sed radicalis serò Chirurgia paratur! Cum verò audacioribus, immò & mulierculis fors aliquando faveat; mactæ animo: diluentia, incidentia, aperientia exhibe, sudores move, ductum intestinale catharticis, hydragogis, emeticis excita: acû triquetram latioris ductûs, hosti latenti quantum satis exitum præbe. Felicem operam! Si talibus Ægrum ab orcis, ad vitæ delicias & amœnitates beneficâ conducens manu gaudeas! Sed eheu! Quam multis incassum! Et post multas, & repetitas Operationes gravem cum aquis vitam fundunt! Causas igitur, ut jam monuimus sedulò ac diligenter perpende.

Si aquas in peculiari cystide latentesprehenderis, inter plurima à variis Authoribus proposita, quod libuerit pro ratione eliges: quidam enim setaceum (a). Cystidi transversim immittunt. Ferro candente aut cauterio potentiali folliculum erodendum volunt multi (b): nos verò scalpello, quantum poterit, fatiùs ac certius incidendum censemus, semper interim cavendo ne vasa spermatica aut terituli lædantur.

Si denique, aqua in ipsâ testis vaginali tunica contineatur sine alio concomitante morbo, palliativam, utpotè minùs dolentem curationem radicali antepônunt multi: immò quosdam videre est qui, sibi-metipsis, audaciore manu, acû triquetram singulis mensibus immittere non dubitant. Verùm hæc methodus iis solum-modò confert in quibus aqua limpida fluit, neque tumoris antiquitate nimia sit sacci crassities: si enim aqua sub-rubra vel atro-rubescens, aut aliâ quâcumque pravâ qualitate donata testiculum erodere aut syderatione afficere queat; periculum est in morâ, & ferotum, scalpello quantum fat incidendum.

Si, ut finem faciamus, testis ipse syderatione sphaceloque corripiatur: super imposito in ossis pubis laterati parte globulo rite deligato spermaticum sanguinem sistente; Ægro pro majori operantis opportunitate collocato; noxium testem prorsus eradicandum, vulnusque, pro simplicium ratione, rejectâ tanquàm inutilis doloris, immò & convulsionum (c) fomite spermaticorum vasorum deligatione, ad cicatricem conducendum, confidenter asserimus.

(a) Palfin Anat. Chirurgig. pag. 173. Dionis Comment. par la Faye pag. 368.

(b) Zuinger. pag. 507.

(c) Confer. Epist. Clariss. Louis in Collect. Periodicâ Observ. Med. Chirur. Pharmac. &c. tom. IX. pag. 521. Variasque Observ. que passim in hac Collect. leguntur.